

www.e-rara.ch

Athanasii Kircheri magneticum naturae regnum

Kircher, Athanasius

Amstelodami [Amsterdam], [1667]

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-14837>

Sectio I. Praelusoria.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]


Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

I

S E C T I O I.
P R Æ L U S O R I A.

C A P U T I.

Quam Natura in rebus singulis propriis viribus exornandis, potens sit, quàm sagax, & provida.

 Icuti universa illa, & pantamorpha Mundi Natura, per omnia Mundi membra diffusa, hanc rerum universitatem certo gubernat ordine, & constantiâ regit immutabili, ita fieri nequit, ut Divinâ quadam lege Architectonica, & conservatrice, quæ consilio, & recta ratione omnia prudenter administret, & providentiâ suâ tueatur, non regatur. Quæ quidem mentis Architectonica

A nica

2 *Sectio I. De viribus*

Lex natura
immu-
bilis.

nicæ ratio nihil aliud est , quàm
Lex Naturæ immutabilis , quam
Plato, Artem Dei ; alii famulam,
ministram , sive instrumentum
Opificis , quo administrantur
omnia , existunt , atque conser-
vantur , appellant ; quæ sicuti
Mundo comæva, eique à sapien-
tissimo Opifice ineffabili Divinæ
providentiæ suæ dispositione fa-
tali quadam , ut ita dicam , ne-
cessitate alligata est , ita in toto
animantium , stirpium , minera-
liumque genere nihil spectari po-
test virtute aliqua particulari im-
butum , quod illi veluti impera-
trici suæ non subjiciatur. Hinc
quicquid Naturæ hujus habet im-
perium , id perpetuâ constantiâ,
rectaque ratione , & convenienti
lege sustinetur, neque à semita sibi
præscripta , legeque data deflectit
unquam ; Ab hac omnia in Mun-
do participant , cum nulla res
quantumvis minima , sit, cui non
in-

infit vis aliqua ab ea directa, quâ
id, quod genuit, conservet & tuea-
tur, ut sic contra omnia incom-
moda, & naturæ suæ contrarias
actiones munita in suo esse con-
servetur. Quæ quidem immuta-
bilis Naturæ vis rebus singulis im-
plantata, cum non semper sit ex
earum numero, quas qualitates
manifestas, atque elementares
Philosophi nuncupant; ideò ean-
dem ut plurimum qualitatem oc-
cultam & infandam, Arabes col-
codeam, Hebræi divinæ potesta-
tis instrumentum, id est formam
abditam in omnibus operantem,
alii sympathicam, & antipathi-
cam qualitatem, nos haud in-
congruè Magnetismum appellan-
dum duximus; siquidem omnis
hujusmodi virtus rebus inexistens
secundum analogiam quandam
Magnetis per attractum quandam
dispulsionemque plerumque con-
tingit: qui quidem attractus sicuti

Omnes
natura-
lium re-
rum vir-
tutes
magne-
ticam
vim imi-
tantur.

in amore quodam, quo res naturali appetitu similia sibi, bona, amicaque unire appetunt, ira dispullus in odio quodam, quo dissimilia, mala, inimicaque à se removeere conantur, consistit. Atque hæc causa fuit cur opusculum hoc, de Triplici in Natura rerum Magnete, inscripserimus; quò quidem præterquam, quod Magnetismos rerum singularum, à propriè dicto Magnetismo distinguimus, tractivam repulsi-
vamque vim in singulis rebus latentem, non juxta theoriam tantum, sed & iplo experimento comprobata; ac per convenientem activorum cum passivis applicationem mirandos effectus producere (. qui Magneticæ Artis nostræ unicus scopus est.) docemus. Totius quoque universi, atque adè rerum omnium corporearum nexus, nova & singulari methodo investigamus. Cujus
qui-

quidem claves quicumque possederit, is portam ad abditarum quantumvis rerum notitiam, adeòque verè illius, atque à veris Philosophis intentè Sapientiæ, quam Magiam vocant, portam apertam se invenisse gloriari poterit.

C A P U T II.

In Mundo sensibili nil adeò occultum esse, cujus probabilis saltem causa assignari non possit; ubi & diversa Philosophorum sententia, & opiniones de abditis Natura operationibus adducuntur.

ADeò quidam rerum reconditarum insolenti percussu perterrentur, ut Socraticam quendam pusillanimitate convicti, nihil sciri, nec ullius rei veram & genuinam causam assignari posse

asserant ; quos quidem ego, quanto in veram philosophiam sunt iniquiores , tantò minùs reliquis tolerandos censeo : dici vix potest, quàm mihi hujusmodi modici animi Philosophi bilem moveant, qui dum effectus quosdam à communi hominum sensu degeneres comperiunt , subito ad propudiosum illud ignorantiae asylum confugientes , occultam qualitatem esse, ac nullam proinde aliam genuinam causam inquirendam ; hinc Naturam humano ingenio metas præscripsisse ; frustra quod Natura nobis abditum esse voluit, inquire ; nihil quod ex primis qualitatibus non proveniat , sciri posse , aliaque sexcenta vana & futilia effutientes ingeminant : Cum hoc ignorantiae pallio , præterquam quod exiguos in Philosophia progressus se fecisse monstrant , alta & generosa pectora à tam laudabili veritatis inquirendæ
flu-

studio mirum quantum avertant. Ego certè dum mundantum hoc infinita quadam varietate rerum instructum Theatrum penitiùs contemplor , nullum effectum adeò prodigiosum, nullius rei adeò occultam vim reperio , cujus à solerti sagacique ingenio causa probabilis saltem , aut verisimilis, si non certa aut evidens , adsignari possit ; Cùm nullæ vires , sive manifestæ , sive occultæ sint , quæ à Deo Opt: Max: sapientissimo sanè consilio , & ob certos fines , sive rebus propriam , sive nostram utilitatem respicientes , rebus creatis non sint inditæ , quas homini Mundi filio hæredi & universorum fini occultas & inaccessas esse, Deum voluisse , non est credibile : adduxit enim Deus Opt. Max. cuncta animantia ad Adam, ut videret, quid vocaret ea , quo loco non incongruè per Adam, omne genus humanum intelligi

Nulla
vis natu-
ralis tam
occulta
cujus
ratio
saltem
proba-
bilis da-
ri non
possit.

poterit, quasi Deus in hoc Mundo soli homini rerum creaturarum varietatem ob oculos posuerit, ut ingenii sui vigore, indagatis rerum singularum proprietatibus ad sapientissimum eorum omnium Architectum laudandum, amandumque converteretur. Igitur Naturæ opifex singula animantia, etiam minima, singulari quodam instinctu dotavit, qui quidem nihil aliud est, quàm materialis quidam, seu potius umbratilis intellectus, vel operatio phantasiæ, qua determinatur appetitus animantis naturalis ad impetum, & fugam, ad commodum, & incommodum. Quis enim lanæ conficiendæ Bombycem, telæ contextendæ araneum, Apes favorum, horreorum formicas, Hirundinem denique nidorum construendorum rationes docuit, nisi instinctus ille, sive vis phantastica, quâ quodvis sibi bonum eligit, ma-

Artificia quibus animalia solo instinctu naturæ operantur.

ma-

malum reprobat? Quis docuit leporem timere Canem, & non Cervum; cum deformior sit? Quis pullum timere Milvum, & non Pavonem, aut Struthionem, cum grandior sit? quis Cervam admonuit, se plus valere levitate, quam viribus: Leonem ad usum unguium quis instituit, Equum ad calcium, ut ille fugâ sibi consulat, isti armis, cum majora tamen armamenta sint cornua? Quis Psittacos & Picas Rhetoricam, Cynocephalos Musicam, Geometriam Apes, Architectonicam Hirundines, Ogygen Astronomiam, Araneos Textoriam artem docuit? Quis Ibi exhibitionem Clisteris, Hyppopotamo phlebotomiam, cervis Chirurgiam ostendit? Quis vires Cunilæ contra Serpentes Testudini revelavit, quis rutæ, & origani vim ciconiæ, Angui contra hebetudinem oculorum marathrum, Hirundini

contra cœcitatem chelidoniam, helxines sive anagallidis ad purgandum stomachum vim catarticam gallinis, cæterisque Aquaticis demonstravit? Solus instinctus ille naturalis. Si itaque Animalia bruta ex hoc instinctu sibi indito, ceu ex notis, aut noxiarum, aut sibi proficuarum herbarum vires cognoscunt, cur homini omnium fini hujusmodi occultarum virium per suas causas cognitionem denegatam nege-
mus? Cur itaque Lupus cum Agno, Leo cum Gallo, cum Mure Elephas, cum Accipitre Columba lites agant, nè inaccessum humano ingenio putes; cum illi causas hujusmodi abditas reddere difficile non sit, qui admirabilem hujus universi harmoniam, unà cum suis harmonicis differentiis probè noverit. Cur verò quædam Animalia in certa quadam corporis parte sedem virtutis suæ

constituerint, & non in toto, ut in cornibus cervus, in unguibus Alce, in ossibus Hippopotamus, in felle Bos, Hircus in Sanguine, ac denique in excremento cattus Indicus; illius causam non magis abditam esse scias, quàm cur Taurus magnum caput habeat, camelus in majori corpore minus, Orbis pisciculus verò nullum; aut enim totum caput est, aut totum venter: vel cur Equus solipes, fissipes Capra, Elephas nullifidus, Aves in universum bipedes, aliæ quadrupedes, quædam apodes, nonnullæ diversipedes; causæ enim harum, aliarumque diversitatum, ut sunt sapientissimæ, ita ex seipsis sagaci Philosopho innotescunt. Non dicam hic de Plantarum, Mineralium, aliarumque rerum naturalium occultis motionibus, consensu, dissensuque; sileo de abstrusis eorum qualitatibus, dotibusque planè divinis,

Diversas vires in diversis membris animalium continentur,

quæ tantæ sunt, ut nihil non eorum ope effici posse existimem. Verùm ut sympathia & antipathia rerum hoc loco exactiùs discutiatur, de iis, antequam ulteriùs progrediamur, non tamen nisi paucis, modò tractare visum est; hoc enim præstito, non dubito futurum, ut de natura Magnetis, sicuti & de Magnetisimis rerum non tantus amplius in Scholis difficultatis locus relinquatur.

C A P U T III.

Quod tota Natura rerum in lite, & amicitia posita sit; sive quod idem est, quod omnes actiones rerum attractu & repulsu peragantur.

Naturæ clavis una est, quam is solus, qui in materiis dissimillimis unitatem complectitur, teste Algaziele, reperisse censeri de-

debet; etsi nemo eam possideat, ^{Clavis}
nisi formas rerum, stimulosque ^{Naturæ}
motuum naturalium, qui ex lite ^{quæ}
& amicitia, seu discordi rerum
consensu immediatè resultant,
quosque corporum unio, & fuga
necessariò consequitur, perfectè
norit: Latet enim sub hisce totius
Naturæ thesaurus, & arcana Di-
vinæ Sapientiæ sacramenta, quo-
rum scientiâ imbutus Salomon ^{Salomoni}
adeò gloriabatur, ut ipsas Regnis, ^{mona}
& Sceptris multò eam antepo-
nendam duxerit. Priusquam igitur
ad ipsam rerum investigationem
perveniamus, quænam, quales, aut
quotuplices mirificarum hujus-
modi Naturæ operationum sint
causæ, ne in confusa illa rerum
infinitarum congerie sine ordine
versemur, hac prolusione priùs
examinare visum est. Consensus
igitur, sive dissensus rerum, quo-
rum illum sympathiam, hunc an-
tipathiam vocant Græci, non
unam,

14 *Sectio I. De viribus*

Varia
causæ
sympa-
thiæ, &
antipa-
thiæ,

unam, ut quidam voluere, sed multas & differentes causas, atque occasiones habet. Nonnullæ ad has, aliæ ad alias Naturæ classes revocantur: in multis concurrunt omnes; in nonnullis aliquæ & certæ; in aliis una solummodo effectum prodigiosum producit: Quædam enim à figura, & poris, uti & à positione agentis, & patientis, occulti motus causam habent; undè, neutiquam totaliter atomos Epicuræas negamus; siquidem ab aliquibus rebus qualitates quædam raras, sed & aliquos corporum vapores corporeos, seu pulvisculos, aut effluxiones emanare novimus, quæ omnes maximam habent in rebus singularibus, subjectisque distantibus, operandi potestatem. In aliis subindè intervenit aliqua antiperistasis. Certè quantum imaginatio in exoticis effectibus producendis valeat, notum est; concurrentibus

rentibus inclinationibus, & sæpè
lite & amicitia, cùm proprietatium à tota substantia promanantium, tum primarum & secundarum qualitatum sensibilium. Efficaciæ quoque causæ efficientis, & dispositioni patientis, ambarumque applicationi multa adscribi debent. Virium igitur mirificarum magna est varietas. Sunt alię
sensibiles, alię insensibiles. Quędam contrarię inter se, quędam amicę. Primò igitur sub sensibilibus magna proprietatum singularium pars, quę in lapidibus, plantis, aliisque rebus naturalibus elucescunt, continetur, ut cum Jaspis sistit sanguinem, carnem consumit sartophagus, Serpentes Gangites fascinat, Telitrophium occidit Scorpiones, helleborum album eisdem resuscitat, Ranunculus Sardous, risu occidit, Savina, & Rhododaphne homines sanat, interimit animalia; contra

Varia
qualita-
tum oc-
cultarum dis-
visio.

Napellus hominibus exitiosus, animalibus quibusdam propitius est. Atque hujusmodi proprietates: etsi fugiant sensum, viribus tamen rationis cognoscuntur; quorum omnium diversæ causæ sunt, differuntque plurimum à manifestis qualitatibus, utpotè realiter à primis, & secundis sensu perceptibilibus distinctæ, de quibus in decursu operis tractabitur. Aliæ non sunt distinctæ, nisi modo & qualitate quadam particulari à primis qualitatibus, quemadmodum est calor naturalis in certis animalibus, qui in iis majorem efficaciam habet, quàm ipse ignis elementaris. Ita struthio consumit ferrum in stomacho quod ignis quantumvis intensus vix consumere potest. Par ratione sunt aliis in rebus qualitates primæ ferè differentes, ut in Galatia lapide, qui mediis in flammis, ut calefiat, adigi non potest.

test. Ita aliqui ignes , de quibus Plinius , in quædam subjecta nullam vim & potentiam habent qui tamen plerique effectus antiperistasi ex formarum repugnantium dissidio ortæ adscribendi sunt. Secundò considerari possunt aliæ qualitates à sensibus penitus remotæ, mirabilium effectuum causæ , quarum aliquæ communes, aliæ particulares sunt. Communes vocantur , non quod ordinariae sint aut frequentes , sed quod plerumque in una integra specie, hoc est, omnibus individuis insint ; inter Brassicam & Rutam perpetua viget inimicitia , eò quod una alterius necessarium subtrahat alimentum. Particulares sunt, quæ non omnibus & singulis individuis, sed uni soli, insunt ; ita solus inter lapides Magnæ vim in polos terrestres conversivam obtinet : Inter homines quoque inveniuntur quidam, qui

Varia
series
virium
abditarum.

Mira in
hominibus
portenta.

bus

bus rosarum odor ingens tormentum adfert ; nonnulli ad cattorum præsentiam sudant , uti & ad ciborum quorundam ipsis contrariorum præsentiam : Quibusdam venena sunt innoxia ; Pyrrhus Rex Lienosis digito pedis sui medebatur, & hujusmodi infinita, quibus passim refertæ sunt historiæ , qui quidem effectus à conceptû originem suam plerumque deducunt. Tertiò , qualitas subjecti varias quoque fundare potest rerum sympathias, & antipathias ; ita videmus aliam contagionem animalibus , non hominibus ; aliam hominibus, & non animalibus , ut in febribus maligni ; aliam quoque certæ tantum Nationi esse infestam , ut in Regno Granatæ novæ Hispaniæ, solis Indis certus morbus lethifer est, & contagiosus, externis neutiquam. Ita Lepus marinus unis esus, aliis potatus, nonnullis

lis visus, quibusdam tactus veneno est; quæ haud dubiè originem suam à varia subjectorum constitutione trahunt. Quartò, vapores quoque sive expirationes è corporibus diffusæ, certasque virium suarum sphaeras obtinentes, haud infrequenter effectuum mirabilium causæ esse possunt. Sic fructus vitiosus, & putridus, fructum sibi vicinum inficit; ita herbæ certæ certis herbis sunt contrariæ, quia expiratio expirationi alteri mista, vel destruitur, vel aliam prævalendo destruit, cujusmodi videre est in filice, & arundine; Ita quidam in Hispania pedibus tantùm tangendo equos, eos sanabat. Ita fructus Ananas dictus tanta vi pollere comperitur, ut relinquendo in eo clavum una nocte, consumat totum chalybem in eo latentem. Quintò, iterùm cum corpora, ut plurimum subtiles quasdam, & insensibiles

Vapores.

Ananas fructus consumit ferum, optimus hominibus cibis.

exhalationes expirent, certè varia pororum, è quibus dictæ exhalationes procedunt, constitutio, & dispositio, innumerorum effectuum causa esse potest. Ita Adamantem ob pororum angustias ab igne immunem volunt. Hinc effectus prodigiosi fulminis ferrum liquefacientis intra vaginam, integrà manente vaginâ. Hinc sonorum quoque prodigia originem suam deducere videntur. Sextò, nonnunquam causæ efficientis, & materialis dispositio multa prodigia exhibet, de quibus in tractatu de Magnetismo plantarum. Septimò, qualitates primæ, & secundæ sensibiles multarum quoque sympathiarum fundamentum sunt. Ita in Medicamentis, frigidi morbi calidis, calidi frigidis, humidis sicci, sicci humidis curantur. Hac ratione certa animalia certis locis tantum degere possunt, non alibi.

Ita

Sono-
rum
prodigi-
a.

Ita Ibis extra Ægyptum patriam suam ità agrè degit, ut potiùs moriatur, quàm alibi moretur; Ita polypus solâ aquâ maris falsâ gaudet, in aliis vivere nescius. Octavò, Antiperistasis quàm miros possit effectus, neminem latere arbitror: est enim ea quoddam stratagema Naturæ, quo qualitates manifestæ, vel etiam occultiores se contra inimicos suos, quando ab illis impetuntur, defendunt. Hinc varia aquarum, atque meteorologicarum impressionum miracula. Demophoon servus Alexandri Magni, Soli, aut balneis expositus calidis, frigore tremebat, & in umbra calebat; cujus effectus causa à corporis constitutione; pororumque conditione, ceu causâ unicâ dependebat. Nonò, ab elementis, & metu vacui, uti & à motu locali, sive impulsu aëris, magna effectuum prodigiorum congeries desumitur. Hinc sol-

Anima-
lia certa
cortu
fides
amant.

Metus
vacui.

solvuntur terræ motuum, incendi-
 orum subterraneorum, effe-
 ctuumque omnium in Mundo
 sublunari elucescentium difficiles
 causæ. Hinc echus sive reflexa-
 rum vocum mira vis, consensus
 duarum chordarum æqualiter ex-
 tensarum. Hinc causa deducitur,
 cur ad sonum campanæ, apud
 Fracastorium, imago cerea perpe-
 tuò movebatur, aliis eundem si-
 tum obtinentibus, immotis. Hinc
 denique quarundam speluncarum
 formidabiles sonitus, cujusmodi
 Olaus de specu Smellen meminit,
 rationes eruuntur. Decimò, quan-
 tum imaginatio, rerum omnium
 transformatrix, possit, Lycosthe-
 nes & Ægrorum schola, uti &
 Cosmo critica Cornelii Gemmæ,
 satis declarant. Hinc sanè anima-
 lium diversi-colorum productio-
 nes; Corvi, Vulpes, Ursi, Lepo-
 res in Borealissimis plagis ex con-
 tinuo nivium albicantium aspe-
 ctu,

Mirus
 effectus
 spelun-
 cæ.

ctu, imaginatione adjuvante, produ-
cunt omnia candida, & alba:
ita multi solo aspectu, & olfactu
purgantis medicamenti, apprehen-
sione forti purgantur; vera
Prothei filia omnium, ut dixi,
transformatrix est imaginatio, de
qua fusiùs quoque in Tractatu de
Magnetismo imaginationis in
Arte nostra magnetica. Unde-
cimò, multi etiam prodigiosi effe-
ctus proveniunt ab harmonicis
sonis, & Musica, non in corpus
tantum, sed & in animam, & spi-
ritus jus suum prætendente. Item
à diffusioné contagiosæ qualita-
tis; hinc fascini naturalis causa.
Duodecimò, à vehementia qua-
rundam passionum animi, profi-
ciscuntur multi. Hinc per harmo-
nicam concordiam, & unionem,
quæ est inter corpus, & animam
inimici se sentiunt, hinc sudores
prodigiosi; hinc sanguinis affini-
tate conjuncti se sentiunt, non
quod

quod radii quidam ex anima, aut è potentiis egrediantur, (quemadmodum multi perperam sentiunt.) quæ dissitum afficiant, sed vel corporeo effluvio, similive qualitate alterante, si vicini sibi sint, aut si remotiores, boni Dæmonis instinctu, aut alia hyperphysica quadam actione id fieri censendum est. Decimotertiò, à corporibus cœlestibus, sideribusque causæ mirabilium deduci, ut plurimum solent, quorum alia motu, alia calore influxu particulari, particulares effectus rebus sublunaribus imprimunt, de quibus omnibus quam amplissime in Arte nostra magnetica actum est.

Atque ex his omnibus hucusque fusiùs forsàn quam par erat, enarratis, sat liquet, non à solo Cœlo, aut elementis, dissensus consensusque rerum. leges derivandas, sed varias esse hujusmodi esse.

effectuum causas, prout in hoc brevi ætiologismo docuimus. Prætereà cum omnes res agant effluxum quendam, sive diffusionem qualitatis suæ in rem, quam afficiunt, factam; effluxus autem is concipi non possit, nisi per lineas quasdam brevissimas in orbem diffusas; hinc omnes effectus hujusmodi raris rerum in se mutuo agentium, quacunque ratione productos, per radiationem quandam fieri dicimus, naturâ compendiosè omnia sub brevissimis lineis connectente. Cum igitur inter cæteras prodigiosas naturæ operationes potissimum in Magneticis operibus hujusmodi radiatio advertatur, quam nos propriè magnetismum, sive formalem actum magnetis dicimus; hinc per similitudinem quandam, & analogiam, omnium rerum vires ac qualitates, quibus in se mutua radiatione agunt, magnetismos ap-

Omnes
res a-
gunt per
efflux-
um ra-
diorum.

pellare visum est ; qualem , aut quem ad agendum à provida natura unaquæque res sit adepta , & quomodò eo operationes suas singulæ res perficiant , jam tempus est , ut aperiamus , à mundanis corporibus initium facturi.

S E C T I O II.

De Magnetibus animatis.

C A P U T I.

*Compositiones rerum in elementari
Mundo non nisi per attractum
& repulsum fieri.*

Incultatem , uti hoc loco elementorum , ita cæterarum rerum , de quibus hoc libro dicturi sumus , magneticam , juxta analogiam quandam , appello. Sicut enim magnes naturali , eoque sibi innato appetitu,